

Hoc tanto magis miratus, quo noveram quam me apud te male explicavit ille, a quo longe alia promerui et cui Tu fidem adhibere tenebas, cum ego non alium haberem testem, quam eum qui fata nostra gubernat, quique novit quam pio et sincero Te semper colui mente, quodque faciam quamdiu me sinant fata inter vestrates numerari.

Lætus ex literis Alstroemerii intellexi Te etiamnum vegeto corpore et inconcussâ sanitate valere, me vero jam incipiunt anni ingravescentes comprimere.

Absolutis propediem Speciebus meis Plantarum* incipiam edere breves descriptiones Insectorum et Conchyliorum Musei Ser: Reginæ M. L. U.†

Clerck nostro æri incidit omnes Papiliones ex Museo Reginæ numero stupendos, eosque vivis coloribus delineavit tam pulchre, ut audeam confiteri magis pulchrum nunquam vidisse orbem; hujus unicum exemplar obtulit S. Reginæ, sed fata adversa ita eum suffocarunt, ut vix spes supersit, quod plura exemplaria prodeant; nisi aliquis egregius pictor ab eo emat icones et tabulas.

Devota mea officia dicas Illustr. Du Hamel, ad quem responsorias dudum dedissem, nisi expectassem quotidie missum librum.

Cum vix habeam in Horto plantam quam Tuus non alat, non novi aliquam Tibi gratam. Inclusa tamen mitto semina *Ethuliæ conyzoides* in terrâ prægnanti serenda, *Mesembryanthemi pomeridiani* cum capensibus commune requirens solum et *Astragali Chinensis* sub dio alenda. Utinam scirem plures quas mittere possem.

Vive diu felix a me perpetuo colendus.

Dabam Upsaliæ 1763. d. 1 Martii.

junctam docemur, “ *Quam in elegantissimâ Latinæ linguæ non habitaret illustris a Linné, has litteras, Suecice ab auctore exaratas, Latine reddidit Latialium penes nos musarum, dum vivit, peritissimus arbiter, celeb. Bibliot. Upsal. Bergerus Frondin.*”

* *Caroli Linnæi Species Plantarum*. Edit. 2^a, 1763 (quam hic, quoties species nominanda fuit, secuti sumus). — Prima anno 1753 prodierat.

† *Museum Sacræ Regiæ Majestatis Ludovicæ Ulricæ, in quo Animalia rariora, exotica, imprimis Insecta et Conchyliâ describuntur et determinantur, Prodromi instar editum*. Holm. 1764.